



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 19. Varia alia misericordiæ motiva.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## §. XIX.

## Varia alia motiva.

**D**E comedente exivit cibus, & de forti egressa dulcedo. Judic. 14. 14. Græcus: & de tristi. Tamen de forti hoc intelligitur: quia leo fortis est feritate; & qui ferus, tristis. Et de vobis, qui pecuniam devorastis, & avaritiam, exeat misericordia: hæc est enim esca egenorum. Et de tristi exeat dulce; ut dimittatis ei, quia non habet, unde solvat. S. Ambros. l. de Tob. c. 15.

*Non occideretur quisquam in die hac.* 1. Reg. 11. 13. q. d. ait Carthus. sicut misericordiam consecuti sumus à Domino: sic misericordiam debemus facere proximis nostris.

*Ecce homo manum habens aridam.* Matth. 12. 10. Multi & nunc aridas manus habent; hoc est, immisericordes sunt, & non communicant. Sed quando sermone Evangelicò docentur; extendunt eas, & communicant. Theophylactus hic.

Canes ante mensam impastos esse non patimur; & homines extrudimus? S. Ambros. offic. 3. c. 7.

Pro uno mandato divino, quod nos hortatur ad rigorem iustitiæ; sunt innumerabilia, tam in veteri, quam Novo Testamento; quæ ad misericordiam nos incitant. B. Humbertus l. 75.

## §. XX.

## Misericordia magis egenti prius succurrit.

**M**isericordiã tuã Domine plena est terra. Ps. 118. 64. Fortasse dicas: quã ratione dictum non est, misericordiã Domini plenum est cœlum? Licet auxiliò Domini fulciantur etiam cœlites, tamen non tantã ejus indigent misericordiã, quantã ea, quæ sunt inferiora, ac

terrenã: non enim illa carnis involucro vestiuntur, in qua est frequentis erroris illecebra. S. Ambros. Octon. 8. hic.

*Hunc cum vidisset Jesus jacentem &c.* Joan. 5. 6. specialiter hunc unum affatur, & curat; quia miserabilior fuit. Dionys. Carthus.

## Miscellanea.

*Longanimis.* Ps. 102. 8. Cassiodorus legit: *patiens, & multum misericors*: nullus enim misericors, nisi qui & patiens. Id. hic.

*Non est misericordata, & non est scientia Dei in terra.* Os. 41. Et, id est, quia q. d. defectus scientiæ Dei, quasi luminis prædici, est causa, cur deficiat misericordia. Cornelius hic.

*Et extendens Jesus manum, tetigit eum.* Matth. 9. 3. Factum est hoc, ut ajunt Ambros. in Luc. Glossa Interl. Remigius, ad benignitatem Christi ostendendam; quæ nos docet; nullum proximum tædio, vel fastidio, nobis esse debere, licet miserrimum. Sylveira hic.

*Ut venientes ungerent Jesum.* Marci 16. 1. Non ad ungendam tantum aliquam corporis partem, pedes, aut caput; sed *ut venientes ungerent Jesum*, quòd est totius corporis complexio. Tu quoque, si te induas viscera misericordiæ, liberalem, benignumque te exhibeas ad omnes. S. Bernardus l. 12. in Cant.

Nulli parvus est census, cui magnus est animus; nec de rei familiaris modo mensura miserationis pendet, ac pietatis. S. Leo l. 2. de Quadr.

Tria sunt, quæ in misericordiæ opere optanda sunt Christiano: ut possit facere, ut velit, ut compleat. S. Chrysol. hom. de misericordia, & duab. mulier. vid.

Invidia in alienis bonis est tristitia; misericordia autem tristitia in alienis malis. S. Gregor. Nys. l. 4. c. 12.

## TITULUS XIX.

## MISERICORDIA DEI.

## §. I.

## Figura, &amp; Symbola.

## Per dexteram.

**L**eva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Cant. 2. 6. Leva sponsi iustitia est; quæ per timorem fuleit Ecclesiam, nè corruat in peccatum: dextera sponsi est misericordia; quæ per spem amplexatur, & consolatur Ecclesiam, nè desperet. *Sperantem in Domino misericordia circumdabit.* Hugo Card. hic.

*Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi.* Luc. 1. 11. quia divinæ insigne misericordiæ deferebat. S. Ambros. Dominus enim à dextris est mihi, nè commovear. Ps. 15. 8.

*Polyanth. Sacr. Tom. II.*

*Et habebat in dextera sua stellas septem.*

Apoc. 1. 16. Cur Joannes, cum describat singillatim omnia in Christo, solius sinistra mentionem non facit. Capillos, vestem, faciem, vocem, pedes, dexteram. Dextera significat misericordiam; & cœlestis regni redditionem, sinistra iustitiam, & pœnam. Hinc in Judicio Electi ad dexteram stabunt, reprobi ad sinistram. Ideo hic Christus D. dexteram stellas fulgentem ostendit, sinistram occultat; quia maximè gloriatur de misericordia; & hanc omnium oculis declarat; rigorem autem iustitiæ abscondit. Sylveira hic.

*Posuit dexteram suam.* Apoc. 1. 17. Hanc Deus suam vocat, non sinistram. Matth. 25. 33. *Statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris.* S. Bernardus l. 2. de Ascens. sedet ad dexteram, habens in dextera

N 2

misa.